

### III.

## REGNUM MORTUORUM.

Nro. 3.

Elyslum-Meum.-Die Veneris 2. Feb. 1810. (Neov. 9. Jan. 1810.)

### Meditationes

de praeterito et futuro,

*M e m i n i s s e j u v a b i t .*

Celebris Pictor *Hannibal Correggio* vice quadam in suo reditu domum a latronibus impetitus, pleneque exspoliatus est. In hoc argumento peses proximam Jurisdictionem querelam intendit, petitque inquiri in praedones, inque eos secundum legem agi. — „Ex animo, aiebat *Judicii Praeses (Podesto)* — at an meminisse dignatur quo vultu delinquentes fuerint?” — ad haec verba *Correggio* graphium protraxit ex sacco: tresque latrones delineavit tam intelligenter, ut eorum vultus dignoscerentur; e vestigio satellites ad domum eorum expediti per quos comprehensi, & res furto ablata apud eos deprehensa.

Ad exemplum *Corregio*, Historici praeterita pro posteris adumbrant, ut ea instar praesentium clare, perspicue luculenteque menti illuceant. At vero solantur nos, dum ærumnas describunt nostras, meliorem mundum consecuturum, nosque ideo tanta perpressos esse, ut posteris meliorem sortem pro-

curemus. Huic assertioni refragatur alacris scriptor, eamque diversis glossis illustrat.

Quasatacunque, (ait is) facta sint, quæ hodierna ætate admiramur, nemo tamen ibi inficias plurimam hodie viventis generationis partem Europæ dura & multa pati debuisse. Bella, horrida bella universam Europam occuparunt; nulla pene regio amplius, quæ ruderibus malefausti Martis cooperta non esset; nulla prope urbs, vicus nullus, qui lamentis, suspiriis singulibusque de eversis fortunis, facultatibus, sudoreque partis bonis non personaret, — ploratus liberorum & Conjugum. —

Non est hic locus disquirendi in auctorem universalis hujus mali; an defectus concordie, an usurpationes mari, utrum occupationes faciendi libido in continente? — parum refert; — malum adest, quivis ejus grave pondus sentit. — Pauci solum qui nullam adhuc jacturam tulere, solantur nos illo diverbio." Perfer & obdura, dolor hic tibi proderit olim. O passi graviora viri! ex oruenta hæc Cacoethe melior, novusque rerum nascetur ordo."

Sit ita, fidem habeo, largiorque ultro; verum dum perdocti hi paraleti addunt: ob hanc rationem absque murmure patientium vobis, cogitatio posteros vestros vobis feliciores futuros antenatisque vestris; hanc fortunam summi æsitmandorum nepotum vestris ærumnis redimendi obligatio vestra est, tum fieri non potest: quin bilis nonnihil as-

surgat, commotoque pectori, Christiano ad-  
versum votum elabatur: dominum encomia-  
stam posteritatis, primum belli adjunctis cin-  
ctam videndi ad periculum de patriotismo  
posteritatis ejus faciendum.

Quis, amabo, dimidia saltim ratione præ-  
ditus ab integra generatione postulare potest,  
ut patiat in gratiam futuræ generationis,  
ad meliorem ei conditionem præparandam?  
Contra princeps sanctissimaque obligatio ho-  
minum est, propriam (cum nulla morali le-  
ge collidentem) felicitatem promovendi. —  
Sique id ex pluribus sæculis iis utcumque suc-  
cessit, quis præsumere de iis potest: eos  
de ejus eversione exultaturos, quasi feli-  
cissimus posteris eventus evenerit?

Sed largiamur quasvis comas natio-  
nes nobis in meros Horatios Coelites muta-  
ri, absque cunctatione mali præcavendi gra-  
tia in abissum se præcipientes agere, inquis va-  
dimonium præbet quasvis novas innovationes  
salutares reapse posteris futuras, per eas fe-  
liciores majoribus suis illos futuros? — Ve-  
nerabiles hi antenati bene se habuere, bona  
sua pacifice possidere, quieti frue-  
bantur donis naturæ, cognatorum suorum  
amore, regiminis sui largitate, jure proin-  
statum suum, si non perfectum, saltim to-  
lerabilem admodum censuere, existimavere-  
que quodvis novum, tamdiu persistere debe-  
re, ad præstantiæ laudem ab iis prome-  
tendum.

Verum sit reapse melior, præstantior, quis vadem se præbet de ejus durabilitate? fieri non ne potest, ut citius serius revolutio oriatur, rursus quiddam novum ei surrogetur, quod præstare videbitur? —

Id ædepo! fieri potest, & tum mox socioli copiosi exsurgent, contendentes: gaudentes priore novo populos novam rursus impensam facere debere, ad posteris novo — novum procurandum, hac ratione in ævum procederetur, continuo numerosæ generationes ea solum causa nascerentur, ut pro futuris patiantur.

Sed manum de tabula — queramus hodie vigentia eventa, en hic sunt!

*Londino 28. Dec.* Nudius tertius regimen litterarum officiosas a nostro legato in America D. Jakson percepit, allatas per D. Ogkley die 24. nave Chesterfield Falmuthum adpulsum, qui 3 h. Neo Eboraco discessit. Ex tempore adventus D. Ogkley inter cætera seqv. Encyclicarum ad Consules Britannicos missarum notitia habetur: Mi Domine! Significandi honorem habeo, facta, ad quæ in officioso meo cum D. Smith litterarum commercio obligabar, Præsidi foed. Statuum sufficiens motivum visa fuisse, quemvis nexum mecum, ceu Ministro abrumpendi, cui tam momentosa pro utroque Statu negotiatio demandata, cujus unus e præcipuis articulus silentio prætermittus est, tametsi is a me ex officio & scripto a me pertractatus sit. Unum horum factorum per Status Secretarium ipsum

litteris de 19. Octob. probatum est, utpote :  
 3 primas condiciones, quæ basim (Instructio-  
 num) Mandati D. Erskine effecere, per Mi-  
 nistrum illum propositæ; aliud factum, vide-  
 licet hoc mandatum unum fore, quo Domi-  
 no Erskine condiciones præscriptæ, sub qui-  
 bus amicam Conventionem in argumento Con-  
 troversiarum inire posset, hoc factum per  
 mandatum constat, quod ipse accepi. Inter-  
 ea quo super his factis me declaravi, firmi-  
 terque contenderem; obligationem meam esse,  
 frequentibus querelis de perfidia regiminis  
 Britannicæ Majestatis occurendi, non potui  
 mente concipere regimen Americanum læ-  
 sionem quærituram in eo; cum mea ex par-  
 te nec in prima mentis operatione læsionem  
 habuerim. — Equidem Dno. Shmidt motiva  
 hujus agendi rationis ex hoc intuitu propo-  
 sui, cum vero ex eo comperiam, eum nul-  
 lam a me communicationem acceptaturum,  
 sentio animo nullam cum dignitate regis com-  
 binabilem viam mihi restare amplius quam  
 e vestigio excedere, urbe, alibi Jussa Sux  
 Maj. intuitu negotiorum hujus Status, & ad-  
 junctorum incipere incidentium expectaturus.  
 est consilium meum interea N. Eboraci mor-  
 randi, quo deinceps suas litteras dirigere di-  
 gnetur, cum quævis ad legationem pertinen-  
 tes personæ mecum abiturae sint.'

Sermo est de instante Ministeriali mu-  
 tatione. Jussum emanavit in flagranti 3 linea-  
 les ad Classen, quæ continuo in mari Hyber-  
 nico discurrit, augendam expediendi.

*Ephemerides Neo-Eboracenses de 25<sup>a</sup> Nov. continent.* „In cunctis australis Americæ partibus turbæ glisbunt. Novissime nuntiatur copias militares ex diversis provinciis ad Urbem Quitto tendere, ubi Conventus celebratur tumultuantium, populusque liberum se & independentem declaravit.

*Madrito 20. Dec.* Marschallus D. Elchingensis e Gallia Valladoletum repetiit, præprimis imperium in exercitus agmen assumpturus.

Secundum relationes, quæ aliquam fidem mereri videatur, decrevisse dicuntur Angli regione Badajoz (Pax Augusti) in qua ex tempore prælit ad Talaveram se munivere, plene decedere in Portugallia majorem securitatem quæsituri. Imo asseverant: jam Ulyssiponem usque rediisse, ex quo naves conscendendi consilium est. Prout Gallicæ copiarum promoventur, plures Urbes, quibus accedunt, Deputatos ad Generales Duces expediunt, deditionem annunciantes, præsidium suscipiendi, & amica ratione tractandi voluntatem declarantes.

*Parisii 4. Jan.* Princeps Primas Tuilleries adiit Imperatorem invisurus. Heri Collegio legum ferend. duæ legum propositiones substratæ altera concernebat locales rationes, altera disponit Cantonem Barcelonette quæ ante ad provinciam Alpiam inf. pertinebat superiorum Alpiam provinciam accensendam esse.

*Augusta die 3. Jan.* Cohors 44. Gallicorum navalium militum 1200 capitum ex Austria heri venit, & Civium domibus illocata est, hodie quiescit, crastino versus Argentoratum perrectura, hæc cohors insignem navavit operam in instruendo super Danubio ponte ad Lobaviam. Cum ea & Cohors Cuniculos struentium adpulit. Frequentes illocationes militum habemus & adhuc frequentiores exspectamus. Gen. DD. Jary & Albert cum pluribus agminis Oudinot Stabi Officialibus apud nos morantur.

*Ratisbona 2. Jan.* Hesterno vespere 7. Coronæ Princeps Bav. occultissime sub nomine C. Helfenstein ex suo Norimberga itinere isthuc advenit, inque loco diversorio ad albam Crucem hospitium accepit. Hodie hic moraturus, urbis memorabilia lustraturus, Cras Monachium revertetur.

*Parisius 5. Jan.* Monitor hodie annunciat: Comitem Dejean ministrum bellicæ administrationis, & primum Gen. Inspectorem dimissionem a munere ministeriali petisse, & impetrasse, ut totus alteri officio vacare possit. Ejus loco decreto de 3. h. C. Cella renunciatus jamque sacramentum fidei coram Imperatore elicit.

*Amstelodamo 10. Jan.* Præter Selandiam, etiam Hollandicam Brabantiam, cum limitaneis quibusdam Gallicæ uniendam, ast M. Ducatum Montanum Hollandicæ reddendum, audimus, — Rotterodami rumor est, Marchionem Vellesley publice declaravisse, nul-

lo fructu Angliam contra Galliam pugnaturam, putare se, cum hac potentia de pace agendum, dummodo Hispanici Insurgentes pacis tractatum ingressi fuerint.

*Labaco 12. Jan.* Nudius tertius Dux Ragusanus (M. Marmond) ex pervestigatione Croatiae, & heri Dux Tarentinus (M. Macdonald) Græcio advenerunt. Tormentorum fragor annunciabat eorum adventum. Postremus iter suum in Italiam prosequitur. — Tergestinum quidem cum fine Nov. ab Anglis impetebatur, non tamen tantum ei damnum illatum est, quantum passim vulgabatur. Etiam respectu Commercii, cum comitatus in Hungariam, & interiorem Austriam pateat, speramus fore, ut Tergestum floreat. Ex Austriacis Provinciis possunt omnia producta in Gallicam Croatiam libere, invehiri, idemque Commercium, quod fuerat olim, hodie quoque persistit, præterquam quod merces ex hostilibus Provinciis provenientes, & Coloniales inferre vetitum sit.

---